

quæque jacturam temporis et cognitionum perutilium pariunt, resque momenti summi intactas præterire, aut leviter modo attingere cogunt. Ad hanc iastituendi rationem respexisse puto Justinianum, cum diceret: *jura ita videntur posse tradi commodissime, si primo levi ac simplici via, post deinde diligentissima atque exactissima interpretatione, singula tradantur: alioquin si statim ab initio rudem adhuc et infirmum animum studiosi, multitudine ac varietate rerum oneraverimus, duorum alterum, aut desertorem studiorum efficiemus, aut cum magno labore, sæpe etiam cum dissidentia, quæ plerumque juvenes avertit, serius ad id perducemus, ad quod, leviori via ductus, sine magno labore, et sine ulla diffidentia, maturius perducere potuisset* (1).

## §. V.

*Hæc commoda jurisprudentiæ naturalis soli philosophiæ et rationi humanæ in acceptis ferenda non sunt.*

Cave, Theophile, ne aliter, ac ipse velim, accipias, quæ in laudem disciplinæ juris naturalis dicta a me sunt. Est ea quidem ipsa per se facultas singularis, suis nixa principiis, et quasi fœcunda conclusionibus: quæ ut per se ipsam consistat, nihil mutuetur ab aliis scientiis; quin aliis largiter det mutuum. At enim non est totum id, profecto non est soli philosophiæ, humanæque rationis vi adscribendum; nisi enim celsiore quadam luce, ductuque regi se sinat hominum ingenium, fere usuvenit, ut ipsa ratione sua, cui temere præfidunt, in fœdissimos errores abripiantur. Testes habemus omnes ætates, omnes nationes, omnes hominum classes. Inde factum fuisse, mi Theophile, existimandum est, ut optimi Numinis providentia, quæ perpetuo consulit humanis rebus, ad rationis vim, quæ nunquam deerat hominibus, alia præterea, atque alia ad vitæ honestatem adminicula adjunxerit, nempe sua ipsius eloquia, monita patriarcharum et prophetarum, dictatas a se

(1) §. 2. *Inst. de J. et J.*

leges, ipsius divinæ sapientiæ humanam indutæ naturam publicum magisterium, perpetuumque, quod eadem instituit, religionis tribunal, ubi non posset non certissima de morum honestate veritas definiri. Age percurramus hæc strictim, ut, qui rationi nihil non tribuunt in humana regenda vita, quam eadem imbecilla sit, supernoque auxilio egeat, ipsis divinæ providentiæ consiliis de errore suo convincantur; qua quidem brevicula recensione quædam veluti origo jurisprudentiæ naturalis patefiet. *Deus hominem rectum fecit*, inquit Ecclesiastes (1), recti nimirum, et honesti et justii æstimatorem et sectatorem. Hoc idem pluribus verbis alio divini codicis libro exprimitur, in quo de primis hominum parentibus disseritur in hunc modum: *disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus... et mala et bona ostendit illis... ut nomen sanctificationis collaudent... ut magnalia enarrent operum ejus* (2). Ita nimirum ad illustrandam divinam gloriam conditæ sunt res humanæ; de qua re luculente, ni fallor, tractavi in institutionibus. De recto hoc statu dejecit hominem gravis noxa, qua non extinctum quidem rationis lumen, sed obscuratum fuit, diminutum, et perturbationibus tanquam nebulis circumfusum. Unde mox succurrendum erat cœlestibus monitis, doctrinisque; quodque ipsa per se rationis vis attingere poterat, id singulari revelatione explicabatur: *sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius* (3). Patrato homicidio, quod dictata rationis satis vetabant hominibus, posuit Deus in Cain signum, quod in omnium oculos incurreret, et a scelere homines absterreret; neque id ignoravit Lamech: *septuplum*, ait, *ultio dabitur de Cain* (4). Ac rationem quidem omnibus hominibus natura imperiit; compertum est tamen, quanta morum vitæque difformitas inde a primis temporibus invaluerit; duas in partes scindebatur humanum genus, aliique *fili Dei* vocabantur probi nimirum atque integræ vitæ ex pro-

(1) *Eccl. VII, v. 30.* — (2) *Eccl. XVII, v. 5.*(3) *Genes. IV, v. 7.* — (4) *Gen. IV, v. 24.*

genie Sethi; alii *filiū hominum*, iidem inventores artium, urbium conditores, cultores felicitatis ejus publicæ, quam nostræ ætatis philosophi identidem in ore habent; sed caduca illa felicitate, inanique gloria morum vitæque labem expiare haud poterant. Illud pessime factum, ut hanc bonorum malorumque segregationem divisionemque veluti pertæsi homines facta pace, ac communis, ut videtur, caritatis obtentu, sublato pietatis discrimine sese miscerent, jungerentque; tum vero pejor parentibus soboles extitit: *gigantes erant super terram in diebus illis: postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum; isti sunt potentes a sæculo viri famosi* (1). Eventus mutæ illius communionis, caritatisque is fuit, ut iratum Numen totam eam colluviem communi interneccione exhauriret, deleteretque. Dubium non est, quin homines illi rationis vi cognorint, ipsique damnarint fœditatem vitæ suæ; sed tamen alia quoque emendandæ vitæ subsidia et incitamenta Numen optimum suppeditavit; misit Noemum *præconem justitiæ* (2), et ante Noemum miserat Enochum divina judicia promulgantem; qui quidem maximum malitiæ coercendæ, servandæque naturalis legis incitamentum, non utique a caducis profanisque sumtum rationibus, sed a timore summi Dei petitum proposuit hominibus, idem nempe, quod ad homines posteriorum ætatum omnium pertinet; *prophetavit de his*, inquit S. Judas, de improbis agens hominibus ætatis suæ, *septimus ab Adam Enoch, dicens: ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum* (3). Vides, Theophile, primis illis jam tum temporibus rationis humanæ lumini aliam Deum addidisse lucem eloquii sui, et prodigiorum, et prophetiarum, et adhortationum. Quid? expurgata aquis tellure divina novimus præcepta hominibus promulgata fuisse, virorumque sanctorum documenta et traditiones conservatas, quæ subsidio essent rationi humanæ. Ea præcepta traditionesque colligens

(1) *Gen. VI, v. 4.* — (2) *II. Petr. II, v. 5.* — (3) *Epist. Jud. v. 14, 15.*

Joannes Seldenus Jctus anglus jus naturæ et gentium secundum Hebræorum disciplinam effinxit. Segregato postmodum a ceteris gentibus hebraico populo, nonne, quæ natura cordibus hominum insculperat, ea in lapideis tabulis exaravit Deus? *scriptum est in tabulis*, inquit S. Augustinus (1), *quod in corde non legebant; non enim scriptum non habebant, sed legere volebant. Oppositum est oculis eorum, quod in conscientia legere cogerentur, et quasi forinsecus admota voce Dei ad interiora sua homo compulsus.* Adde libros legis mosaicæ, libros morales ac sapientiales, ut vocant, historicos dein, ac volumina, sermonesque prophetarum, in quibus omnia prope naturæ præcepta explicantur, illustrantur, confirmantur. Si una ratio hominum iis perspicendiis præceptis sufficit; cur inutilia tot, otiosaque scripta dictavit divinus Spiritus? Sed his quidem scripturis maxima mortalium pars carebat. Philosophos igitur ita rationem acuisse credes, ut puram doctrinam, integrumque ac sanum proferrent naturæ jus? in Aristotelis peripato, in Zenonis porticu, in horto Epicuri, aut Platonis academia rationis vis effloruit? Ostenderunt, Theophile, et abunde ostenderunt eruditissimi homines, quantopere sapientes illi desipuerint, aberrarint, quam turpiter cæcutierint; tu epistolam ad Romanos cogita, in qua de sensu ac vita sapientum rationi suæ præfidentium testimonium habebis omni exceptione majus. At delapsa in orbem divina sapientia, ac diffusa Evangelii luce tum demum patuit, et quantis auxiliis egeat hominum ratio, et quantum ab humani ingenii opinacionibus illibata veritas distet. Unde igitur in tanta cœlestis doctrinæ luce tot prodierunt errores tenebrosi? Non ignoras, Theophile, eas, quæ de moribus, ac naturali jure tractabant, damnatas theses; sed diligunt homines magis tenebras quam lucem. Paucula recensebo; de polygamia ex calculo alterutrius sexus definiendum docent, nec indulgendum putant, ut in regione, in qua illa moribus recepta est, religionem

(1) *In Psalm LVII.*

quis amplectatur, quæ eandem prohibet: divortia passim licita censent, falsiloquii et simulationis non honestatem solum, sed necessitatem propugnant: usuram ab injustitia absolvunt: concubinatum laudant: fornicationum turpitudinem matrimonii temporarii nomine, velut pallio tegunt: juramenta promissoria peculiarem parere obligationem negant: ignorat humana ratio, ajunt, externo cultu Deum colendum esse: leges naturales sine Deo definiri a se posse jactitant. Cur, inquis Theophile, ista commemorem? nempe ut infirmitatem humanæ rationis sentias. Nec vero, si de privato naturæ jure quæritur, magnopere dissentientes habebō homines orthodoxos; at ego ultra progredior, argumentumque proveho. Jus illud publicum universale, quod tantopere hodie jactitant, juris naturalis, ut ipsi fatentur, pars est, nempe ratione erutum, ratione auctum, extensumque, ratione in eam redactum formam, iis instructum principiis, iis circa sacra refertum juribus, quibus auctum, extensumque, instructum, ac refertum a scriptoribus nonnullis orbi literato obtruditur. Quam infirma, et fallax est humana ratio, præsertim cupiditatibus sollicitata, odiis impulsā, assentationis studio corrupta! Si originem hujus juris, qua parte nexum pertractat cum negotiis ecclesiasticis, inquiras, ea ex protestantium castris prodiit. Samuel quidem Pufendorfius libellum edidit *de habitu religionis erga statum civilem*, ob eam causam a Justo Henningio Bøehmero sæpe laudatus. Quo vero collimarit toto eo opere, nempe ut sacrum imperium everteret, et hierarchiæ ecclesiasticæ a Christo institutæ fundamenta subrueret, ubique prodit: ut vel hac de causa Bøehmero, et aliis protestantium doctoribus jurisconsultis æque ac theologis in deliciis, imo et maximo in pretio fuerit; uti Joannes Franciscus Buddens in isagoge historico-theologica L. Poster. c. V. §. 7, in nota pag. 695. fatetur, inquit: *quo pacto Juris ecclesiastici principia emendanda sint, primus, ni fallor, viam monstravit Samuel Pufendorfius in libello elegantissimo de habitu religionis ad vitam civilem...*

*in eoque solide demonstravit, Ecclesiam non instar reipublicæ seu status independentis, sed potius instar collegii cujusdam esse concipiendam.* Quis ex istiusmodi fonte sanam dimanare circa res ecclesiasticas doctrinam speret? Multi tamen inde hauserunt, hauriuntque, iique fere expertes theologiarum disciplinarum. Bonum commune, publicaque felicitas, quæ cum plausu effertur, venditur, ostentatur, non paucos fallit, præsertim cum eandem intercipi catholico systemate et sibi persuadere et aliis velint. Nihil de his juris naturæ, ac publici maxime scriptoribus aptius afferri potest, ac illa S. Augustini de antiquis philosophis animadversio. *Fuere, inquit, quidam philosophi, de virtutibus et vitiis subtilia multa tractantes, dividentes, desinientes, ratiocinationes acutissimas concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis crepitantibus venditantes: qui etiam dicere auderent hominibus: nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis beate vivere (1). Sed Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt (2).*

## §. VI.

*Veterum et novorum philosophorum errores efficere nos cautiore debent in usu rationis.*

Non de antiquis hæc philosophis, iisque alienis a cultu summi Dei, sed de nostris hominibus quibusdam scripsisse sanctum doctorem arbitraris, Theophile, nostrorumque temporum imaginem videre te putas; quippe qui omnem eorum sentiendi, scribendique et judicandi rationem et narratione acceperis et lectione. Quaquaversus enim opuscula sua, chartulasque dispergunt, et mulierculis quoque, ac rusticanae plebi, et quibusvis de trivio hominibus offerunt, ut aliquos nummulos conficiant. Nosti, Theophile, quod hominum notem genus; sed quo nomine idem compellandi sint in latio, non nosti. Si illuminatores dicerem, vim patrii sermonis, ejusque vocis, quam perpetuo in ore habent, haud

(1) Tract. XLV, in Joan. — (2) I. Cor. III, v. 20.

assequerer. Neque enim orbem terrarum sapientia, qua pollent, operaque sua, et communis rei studio jam illuminatum dicunt, sentiuntque ipsi, etsi omnibus viribus id efficere studeant, contendantque; sed illud modo exprimunt, post longam densamque noctem innumerabilium errorum demum *diluculum* quoddam apud nos comparere, idque ipsorum ingenio, doctrinae, indefessae operae, rei que publicae incredibili studio in acceptis ferendum esse. Quapropter, Theophile, cum novis rebus nova aptanda sint nomina, in posterum eos *DILUCULARIOS* (1) vocitabimus. Atque hi quidem humani generis benefactores (veniam dabunt latini huic quoque vocolae) institutum nostrum pertractandi naturale jus, nequaquam reprehendent, etiam laudibus ferent in coelum: utrum vero sententias nostras omnes probaturi sint, magnopere solliciti esse, angive non debemus; pleni sunt enim lenitatis atque indulgentiae, ut ipsos sectarios in media catholicae veritatis luce caecutientes benignissime habeant, et errores excusent, et praedjudicatae opinionis vim causentur, diligenterque moneant, nequis asperis verbis, publicisve reprehensionibus excitare eos, atque ad veritatem adducere audeat. Nunc igitur dilucularii nomen didicisti, Theophile; rem enim et sensa et doctrinam dudum noveras. Neque enim nescire te passus sum illos nexus, illud cavendi jus, illa mixta negotia, illam mediorum ad finem necessitatem, illa adiaphora et accidentalia, illa, quae criminantur, genera superstitionum, quaeque sunt generis istius, a te quidem ita percepta, ut aliquando festive jocareris Tulliana usus sententia: *si mihi, homini vehementer occupato, stomachum moveritis, triduo me publicistam esse profitebor*. Haec quorsum pertineant, intelligis, Theophile; sed quo evasurus sim disserendo, nondum videre te arbitror; eo nempe, ut perspicue comprehendas, rationis humanae seu diluculum seu lumen, si quis supernam respuat sacramque lucem, perquam fallax esse, atque abducere a veritate, salutisque via. Atqui, ais, naturale jus non sacra auctoritate,

(1) Aufklärer.

sed rationis naturalis vi pervestigari, protrahi et explicari debet. Non id peto, Theophile, ut praecipua naturalis juris ex sacro codice, conciliorum actis, voluminibus patrum eruantur, eorumque duntaxat confirmetur auctoritate; sed id modo volo, philosophiae placitis, ingenii que humani cogitatis tantum confidere nos et inniti non oportere, ut, nisi sanctoribus principiis doctrinisque revelatis consentanea deprehendamus, quae ad hominis felicitatem, et honestatem morum pertinent, ea hoc solo ingenio, solaque ratione metiri ac definire nequaquam possimus: id modo volo, ne quis in animum inducat, praecipua illa, jurave naturae, quae sacrae auctoritati dissentanea sunt, tamen ex incorrupto rationis lumine provenire: id volo, nequis veram hominis beatitatem sitam in eo fingat, quod Evangelii doctrina, et venerabilium patrum hominumque sanctissimorum non modo verba, sed exempla quoque reprobant: id denique volo, non oportere quemquam humani ingenii perspicaciam, rationisque vim tanti facere, ut doctrinis sola ratione et ingenio excogitatis conformandam judicet disciplinam, ac regimen Ecclesiae, nec potius Ecclesiae, quae columna et firmamentum est veritatis, regimini et disciplinae, et perpetuo usui conformandas doctrinas illas; quis enim sanae mentis homo inducat in animum, ut ingenioli sui cogitata, eaque ex lutulentis fontibus primo hausta merito praeferenda putet sensui, doctrinisque sacrosanctae Ecclesiae, quae divino spiritu regitur, atque auctoritati sacrorum conciliorum, et innumerabilium praesulum sapientia et sanctitate insignium doctrinis, et exemplis? Si mathematicas demonstrationes jactitent dilucularii nostri, commiserari licet hominum istorum inscitiam, qui in re morali, cujus usque adeo complicatae et ancipites notiones sunt, demonstrationum mathematicarum nomen usurpent. Equidem memini, ante annos jam bene multos in auctore Anglo me legere, non abesse a mathematica perspicuitate, firmitateque propositiones has: jus mihi competit: ergo tibi obligatio incumbit, ne usui mei juris obsistas. Atqui hanc ipsam argumenti complexionem ob-

scurant dilucularii nostri, infirmantque suis illis consuetis formulis, quas supra commemoravi. Quid enim? Si tibi nominanti jus tuum ita respondeam: interest mea quoque, quid agas: nexus est tuas inter measque actiones: jus cavendi mihi est, nequid rebus meis detrimenti inferas, meaque commoda intercipias: consequenter negotia tua mixta censenda sunt, et meo-tua, tuo-mea nuncupanda. Atque hæc quidem, mi Theophile, si de vi atque usu humanæ rationis probe expenderis, mentique tuæ infixeris, verendum tibi haud est, ne, cum doctrinæ, pietatique pari studio des operam, domum tuam supra arenam ædificare videaris (1), omnique doctrinæ vento circumferri debeas (2), semperque discere debeas, nunquam ad scientiam pervenire possis (3). Reliquum est, ut, cum de usu institutionum mearum, quantum necesse videbatur, dixerim, omnem earum deductionem eo, quo confectæ sunt, ordine ponam ob oculos.

## INSTITUTIONUM JURIS NATURALIS

### LIBER I.

#### JUS NATURÆ PRIVATUM.

##### CAPUT I.

*Inquisitio naturalis juris a contemplatione naturæ inchoanda est.*

1. **N**E quid obscuritatis pariat ambiguitas vocum, quando ex natura rerum hominisque manare dicimus naturale jus, naturæ nomine universitas rerum significatur extra homi-

(1) *Matth. VII, v. 26.* — (2) *Ephes. IV, v. 14.* — (3) *II. Tim. III, v. 7.*

nem conditarum, sed quæ hominum necessitati, commoditati, honestæ voluptati accommodatæ sunt, quæ apprehendi ab hominibus, teneri, usibus aptari possunt. Accuratio homini de ipso homine cognitio est necessaria ad eruendum jus. Eam dat analysis, singilatim exhibens mentem, corpus, res externas illas, quæ homini quodammodo adhærescunt.

ii. Homo naturæ vinculis quibusdam adstringitur aliis hominibus, sed nemini propius, quam ipse sibi. Omnium arctissime pendet a Deo, summo Conditore, Governatore, Fine ultimo rerum. Is nexus hoc indicatus loco ad actiones hominis applicatur §. ix et x; ad obligationes naturales §. xi; penitus evolvitur §. lxi et binis sequentibus; accommodatur ad statum civilem §. ccxxvi et sequente §. ccxxxiv (a) fin. Non enim in ea hæresi sumus, ut eo acutius philosophari nos de naturali jure credamus, quo longius ab eo mentionem summi Numinis removerimus.

iii. Ad analysin naturæ hominis diversi ejus status pertinent, qui segregandi sunt. Statum absolutum non excludere omnem societatem, itidem indicatur §. cclxviii.

iv. In natura hominis, in nexu cum aliis, in statibus insunt fines; in finibus inest 1. ordo, 2. in quovis ordine insunt gradus, 3. gradibus respondet proportio et accommodatio mediorum. Hæc tria summi momenti sunt, et per omnem juris disciplinam vagantur latissime. Inde explicatum habet apparens collisio officiorum. §. xxii (e). De ordine finium conf. lxxx de mediis §. cvii. Is ordo adventitio statu non turbatur §. ccxxiv.

v. Fructus ex præcedente Analysisi proveniens.

##### CAPUT II.

*Contemplatio naturæ ad cognitiones practicas hominem deducit.*

vi. Progressum rationis humanæ a theoretica ad practicam cognitionem cum parum observarent nonnulli, contigit, ut theoreticas veritates pro lege habuerint naturali, istamque citra voluntatem summi Dei posse cogitari statuerent.